

le volatili acri & caustico, eoquē penetranti cantharidum vis vesicantis lateat. Hoc cūm figitur, omninò de ipsarum virtute vesicatoriā multum perit. Sic *radix ari* recens degustata illicò poros linguæ ferit, ejusquē fibras nerveas per spongiosam substantiam penetrando acicularum adinstar pungit; Idem facit *piper*, *raphanus rusticanus* &c. In aceto autem macerata aliquandiū, acrimoniam amittunt, & mitia evadunt, palatoquē gratiora. Felicius ergò procedunt, qui sine aceto parant; nam vesicantia sine aceto parata citiùs operantur, quàm quæ sunt cum aceto.

Variaē prostant apud autores formulæ. Si quæ tamen expectantur, sequentes adjectæ sunt.

Rx cantharid. pulveris. ʒʒ.
 euphorb. ʒj.
 oxymell. q. s. f. pulticula.

Rx sinap. piper. conquass. ā ʒʒ.
 cantharid. integr. pulv. ʒij.
 c. sapone f. l. a. cataplasma.

Rx cantharid. ppt. ʒij.
 sinap. conquass. ʒj.
 sem. ammeos ʒʒ.
 cum fermento veteri f. l. a. pasta,
 pro 2. vicibus.

Rx resin. terebinth. ceree ā ʒʒ.
 cantharid. ppt. ʒj.
 ad lenem calorem f. l. a. Em-
 plastrum ad 4. doses.

CAPUT VII.

adplicationem ostendit.

ANte adplicationem consideranda quædam veniunt, quædam verò post eandem. Et quidem LOCUS, cui adplicari debent, variat; Modò enim eliguntur partes superiores, modò inferiores, pro ratione circumstantiarum. Eliguntur verò brachia, cervix, scapulæ, crura, femora, occiput, synciput, vertex, &c. & quælibet ferè corporis pars admittit vesicantia, modò ab ulcere, tumore &c. immunis sit, & carnosâ. Post aures adplicata magni habentur in certis adfectibus. In brachio cūm excitandæ vesicæ, internæ parti supra carpum, tribus digitis à carpo, adplicantur, & ut arteria convenienter exploretur, ne noxa eidem accidat, monet *Eustach. Rudius pract. l. 3. cap. 30.* Cruribus autem supra talum, paulò remo-